



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

De Breviario Concionatorio, Strenæ, Fidelis Prophetissa Concionibus de B. M. Virgine serviens, Conciones Occurrentes & Funebres

Tylkowski, Wojciech

Oliva, 1686

VIII. Beatam dicunt Virginem Booz, & Ruth, ac Noemi. Quia est Sponsa Spiritus Sancti.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-51821](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-51821)

Ambros. in Psalm. 118. Labia Sponsæ dicuntur coccinea, quia hæc tincta sunt Christi sanguine, sanguis Christi in illis loquitur. *Greg. M. in c. 4. Cant.* Labia Sponsæ purpurea, quia charitate colorantur, & inflammantur. E contra Proverb. 10. *stultus labijs ceditur. Theodotion legit.* Labijs fermentabitur. Fermentum gestat in labijs quod massam corrumpit dulcem, quod inflat, & auget, quod reddit acidum, commaculat. *Salmon Princeps militiæ accepit in uxorem Rahab,* ut per eam suam propaginē ad Mesiā produceret, felix sine illius, atque merito Matrem Mesiæ cur prædicaret Beatam habuit. De Rahab ita *Rupert. in Cant.* Ecce Rahab meretrix dulcis eloquij tui Virgo vittā coccineam, sive funiculum coccineum in fenestra sua ligavit, signum suæ fidei, quod nuncios Iosue sive Iesu suscepit atque salvaverit: dum Ecclesia quondam peccatrix & idololatriæ meretricio sordida, dulce eloquium tuum, quo magnificavit anima tuum Dominum, pignus suæ salutis jugiter personat, & omnem doctrinam Evangelicam, in qua ipsos Apostolos tua sine dubio labia confirmaverunt integrā semper fide prædicat, & de omni quidem anima quæcunq; diversa sentientes ad unitatem suā prædicatione constringit, ut id ipsum dicant omnes, & hoc in charitate & fide non ficta, verum est dicere labia ejus vitæ coccinea, sed in ista gratia cæteris omnibus est incomparabilis post dilectum tuum, cui Spiritus Sanctus in Psalmo dicit, *Diffusa est gratia in labijs tuis.*

8. Beatam dicunt Virginem Booz, & Ruth, ac Noemi.

Quia est Sponsa Spiritus Sancti.

Ruth quid fuerit primo nupta marito, later omnino; postea relaxit fidem quam est amplexa, relaxit charitate, quæ pauperem socrum exul & pauper secuta, relaxit populo Bethleemico tanquam mulier virtutis c. 3. Relaxit senioribus c. 4. qui ei sortem Rachel, & Liæ ut Ierusalem ædificaret, comprecati. Relaxit Israeli, quia sicut frumenti modios c. 3. tulit; sic Sanctos sex illustriores progeniit, ut notat *Lyra* hoc loco. Davidem, Danielelem, Asariam, Misælem, Ananiam, Mesiā. Relaxit Ecclesiæ gentium. *Theodoret. in 2. cap.* Accepit Ruth plenam mercedem à Domino quando facta est progenitrix Gentium benedictionis. *Ambros. in Luc. 3.* Ruth intravit Ecclesiam, & facta est Israelitis, & meruit inter majores Domini generis computari, propter cognitionem mentis electa non corporis. *Chrysost. in Matth.* Booz pro merito suæ fidei accepit uxorem, ut ex conjugio tali sanctificato, genus nasceretur regale. Relaxit Deo. *idem ibid.*

V 3.

Nam

Nam Booz Senior constitutus, non sibi uxorem accepit, sed DEo, prius illam DEus accepit in Sponsam, posteriùs Booz in uxorem.

Lætatur DEus Psal. 59. Dixit Dominus in Sancto suo. Hieron. legit. In sanctuario suo: *Moab olla spei mea.* Lorinus in hunc Psal. cum alijs intelligit per ollam Metropolim gentis Moabiticæ, undè Ruth creditur oriunda. Metropolis etiam Jeremiæ dicitur olla. *Ollam succensam ego video.* Quæ olla sit, & quid, DEus ipse explicat. *Ecce ego vocabo omnes cognationes Regnorum Aquilonis & venient, & parient unusquisq; solium suum in introitu portarum Jerusalem.* Itaque Jerusalem est olla. Ezech. 11. de Jerusalem dicitur. *Hæc est lebes nos autem carnes:* quia in Metropolibus iudicia, fraudes, ludi, peccata fervent, quæ maximos halitus in cælum mittunt, & Regibus proventus ut cibos parant, & fuligine sunt plenæ, & ignem expectant, vel quia multi in pœnam peccati permittuntur in corruptis urbibus habitare, ut magis sordescant. *Orig. hom. 2. in Psal. 38.* Qui non corrigitur baculo mittitur in ollam. Moab autem olla spei DEo. Quia ut *Basil. in Psal. 59.* Perfectus subjectus erit voluntati Dei, ut olla subjecta voluntati hominis. De Moab Ruth oriundum asserit *Hieron. lib. 6. in cap. 16.* *Isai.* ubi Isaias dicit: *Emitte Domine Agnus Dominatorem terra de petra deserti ad montem Filie Sion.* Sensum facit. Emitte Christum de petra Moabitarum Metropoli vicina deserto qui ex Ruth Moabitide processurus, qui tamen propè post triginta generationes prodijt. Quantò beatiore Virgo nostra, quæ Mater huius Agni extitit? Cùm Booz quærit de Ruth à Messoribus quænam illa esset. Respondent Ruth. 2. *Hæc est Moabitis quæ venit cum Naomi, & de manè usq; nunc stat in agro & nè ad momentum quidem reversa est.* Matth. 13. *Ager mundus est, messis consummatio sæculi, Angeli Messores.* Qui fasciculi? *Aug. enclir. 25.* Non colligent Messores Angeli in messe consummati sæculi & separabunt spicas à spicis, & fasciculos à fasciculis alios, nisi bonos homines à malis.

Hoc in agro semper stetit Virgo, nunquam per culpam corrui, & quidem à primo manè. *Bernardin. Sen. tom. 4. serm. 44.* Nullum gratiæ beneficium alicui creaturæ collatum Virgini negatum est. Colligit Virgo spicas quæ ab Angelis relinquerentur, nisi viderent eas à Virgine colligendas. Ruth dicit. *Inveni gratiam.* Angelus dicit Virgini: *Invenisti gratiam apud DEum.* Ad Ruth dicitur *e. 7. v. 12. iuxta Chaldeum.* Venisti ad protegendum te sub umbra Majestatis ejus. Virgini dicitur. *Virtus altissimi obumbrabit tibi.* Ruth ad Booz dicit. *Ancilla tua.* Idem dicit Virgo DEo. Ruth dicit. *Extende pallium tuum super famulam tuam.* *Lyra in 3. Ruth.* Solebant viri uxores sibi despondentes orâ pallij caput mulieris velare. Virgini dicitur. *Concipies de spiritu sancto, illius Sponsa eris.* *Moab olla spei mea.* *Virgo olla spei nostræ.*

nostræ. *Paulin. Epist. 3.* Non solum de Iuda sed etiam de peccatorum origine Christus sumpsit carnem, & decoctâ quasi per ollam carnis nostræ cruditate, sanctificavit nobis carnem suam in æternum cibum. Idcirco *Ambr. de instit. Virg. 612. vocat Virginem, Ollam ferventi Spiritu plenam. ubi vulgata legit. Moab olla spei meæ. Symmachus. Olla lavacri mei. S. Basl. Olla lotionis meæ. Cyrill. Alex. orat. contra Nestorium.* Per Virginem Gentes ad Sanctum lavacrum pervenerunt, per Virginem peccatores à maculis abluti. Ruth in agro Booz non soli sibi, sed & suæ Noëmi gratiam invenit. Virgo nobis omnibus gratiam genuit. Ruth collegit spicas.

Olcot. lib. de imagin. c. 7. narrat, quòd scripserit *Albumasar Arabs Astrolog. lib. 6. introduct. de Constellatione Virginis,* hæc verba. Est puella decora facie, Virgo honesta, & munda, in manu habens spicas, per quod describitur Virgo Mater Christi. Ruth domum panis, Bethleem paschali ingressa tempore: *ubi enim Vulgata habet Ruth. 1.* Venit Noëmi cum Ruth Moabide nuru sua de terra peregrinationis suæ, ac reverfa est in Bethleem, quando primùm horrea metebantur. *Chaldæus legit.* Illæ ascenderunt in Bethleem, in ipsis Paschæ ascensionibus. Pascha significat transitum. Ascendit Virgo in mundum in ipso transitu quando Regnum Israelis à Iuda Leone, à Regibus ex tribu Iuda, transibat ad Agnum Christum, quando Deus faciebat transitum de invisibili ad carnem visibilem. *S. Antonin. part. 4. tit. 15. c. 21.* Tempore quod Virginem Matrem præcessit, habuit Deus in signo Leonis sedem, postquam autem placuit illi fieri hominem, habuit sedem in Agno. Quid Ruth postea fecit? spicas collegit relictas. *Bonavent. spec. c. 5.* Ruth in oculis Booz, Maria in oculis Dei hanc gratiam invenit, ut ipsius spicas, id est, animas à messoribus derelictas colligere ad vesperam posset. Qui sunt Messores nostri nisi Rectores & Doctores? O verè magna MARIÆ gratia, quam multi ex illis ad misericordiam colliguntur, qui à Doctores & Rectoribus tanquam incorrigibiles relinquuntur! Illa grana, hæc animas colligit, illa in una parte, hæc in toto mundo: illa nocte cessavit à labore, hæc non dormitabit neque dormiet: illa regens, hæc nullius indigens. *Narrat Franc. Bentiuss in hist. Provin. Iust.* Juvenem Divinæ Matri mirè deditum, cum in grandem incidisset culpam, omnes Sacerdotes fugisse, & desperatione actum se in flumen voluisse abjicere, cum audit vocem & inhibetur. Vox erat. Nè te perde juvenis, serve meus, me sequere, reducam te ad meliora, & statim illi Virgo apparet, ac flumen dividit, illumque ad civitatem reducit, ac imperat ut Sacerdoti confiteatur: quod & cum multis lacrimis fecit.